

bene firmare dicit, quod Arrhæ datio sit contractus per se existens. Verum in *d. l. 5. de Arrha* nec jota quidem habetur. Fortassis ipse intelligit *l. 3. d. t.* ast nec illa quicquam facit pro contraria, uti omnibus penitus textum inspicientibus apparebit.

## XXIII.

Ex his omnibus satis superque constare existimamus, Arrhæ dationem non esse verum contractum; & per consequens frustra disputari, an Arrha sit contractus Nominatus an Innominatus: negato enim genere negantur omnes species, quæ sub eo continentur. Deinde sua quoque sponte ex dictis sequitur, Arrhæ dationem non augere Realium Contractuum numerum; & Jasonem quoque aliquid humani passum esse, dum *ad §. si minus l. de Action. col. 5.* scribit, Martinum antiquum glossatorem nihil unquam sani verique dixisse.

## XXIV.

Præmissa hac præjudiciali quæstione, progredimur ad realem definitionem; quæ scala esse dicitur ad scientiam & fundamentum sequentium, qua neglecta, pronus admodum & præceps in tractatione rerum solet esse lapsus. Antequam vero nostram producamus, prius aliorum considerabimus.

## XXV.

Arrha, quatenus pro ipsa re accipitur, varie a Dd. definitur. Quidam ex Varrone Arrham definiunt, quod sit prærogativa sive repræsentatio pretii suo tempore solvendi. post Hottom. Harppr. *ad pr. Inst. de Empt. & vend. num. 81.* Franciscus de Caldas, *tr. de Empt. & vend. cap. 18. num. 33.* ubi addit: *nam pretii & solutionis pars est, & reliqui pretii numerandi quasi pignus datur.* Convenit cum hac Conani, ita describentis: *est ea pretii pars, quæ ab emptoribus firmandi contractus gratia repræsentatur.* Verum non omnis pretii repræsentatio est Arrha; *arg. l. 35. pr. ff. de Act. empt. nec omnis Arrha est pretii repræsentatio. arg. l. 11. §. 6. de Act. empt. l. 3. §. 15. ff. de Inst. Act. l. 2. C. quand. liceat ab empt. reced. l. 3. C. de spons. imo Arrham*